



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 2. Quæ personæ mittantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

Cap. II. Quæ personæ mittantur.

homiliarum, homil. 2. Hilarius 8. de Trinitate ait, Spiritum S. mitti à Filio nihil esse aliud, quam ab illo accipere. Denique Cyrillus supra, & lib. 12. Theauri, capit. 5. fic ait, Missum se Filium à Patre dicit, non mutatione locorum, sed sicut calorem ab igne, vel splendorem à lumine. Ratio etiam est clara (quæ ex eisdem testimonijs colligitur) quia missio includit egressum missi à mittente, inter diuinas autem personas non est egressio, nisi secundum processione[m], ergo necesse est, missionem personæ illius esse processione[m].

7. Secunda pars probata relinquatur ex dictis contra priorem opinionem Magistri, & vtraque confirmatur ex duabus conditionibus missionis, nam debet esse notionalis, alias non distingueretur ab attributis communibus, & cum respectu temporali ad extra, alias non distingueretur à notionibus merè internis, & æternis, ergo ratione prioris conditionis necesse est, vt includat internam processione[m], ratione verò posterioris conditionis addat temporalem effectum. Quod egregie declaratur ex verbis Christi Domini, Ioannis 16. Exiui à Patre, & veni in mundum. Nam ille exitus per diuinam processione[m] fuit, vt exponit ibi Augustinus tract. 102. & Hilarius libro 9. de Trinitate. Non tamen habuit rationem missionis, donec in tempore Filius venit in mundum.

8. Et ob hanc causam (vt Magistro respondeamus) non repugnat, missionem esse temporalem, quamuis includat processione[m] æternam, nam si ex re æterna, & temporali aliquid in tempore coalescit, compositum illud temporale est, ad hunc autem modum se habet missio. Quod ita etiam explicatur, nam hæc missio non dicit tantum exitum à mittente, sed includit etiam (vt sic dicam) peruentio[n]em ad terminum, seu effectum, quia ergo effectus in tempore fit, missio absolute[m] temporalis est, vt restat D. Thom. & alij docuerunt. Vnde tandem intelligitur, missionem duas relationes importare in diuinis, vnam realem missi ad mittentem, quæ non est alia à proprietate personæ missæ. Et idè rectè dicunt Theologi, non esse in missione aliam processione[m] præter æternam, Bonauentura 1. dist. 14. artic. 2. quæst. 1. Durandus quæst. 2. Alia relatio est ad creaturam, hæc est rationis, & non auget proprietates, nec processiones, tamen, quia temporalis est, missio etiam temporalis est.

CAPVT II.

Quibus diuinis personis mitti conueniat, & an Pater mitti possit.

1. Ex dictis in precedenti capite, facile[m] resolutionem habet proposita quæstio. Nam in primis certum videtur personam improductam, vt Patrem, mitti non posse, vt rectè tradit Augustinus. 4. de Trin. cap. 20. Probo, quia missio inuoluit originem, vel illam principaliter dicit, ergo mitti passiuè inuoluit passiuam originem, ita vt mitti fit, Procedere cum relatione ad terminum, ad quem mitti dicitur, ergo persona, quæ non procedit, non potest mitti. Vnde Augustinus 2. de Trin. cap. 5. adnotauit, de Patre nunquam in Scripturis legitur, quod mittatur. Potest quidem Pater dici venire, iuxta illud Ioannis. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, utiq; Pater, & ego, præcesserat enim. Et Pater meus diligit eum. Nā verbum venire non dicit respectum ad alium, à quo proueniat ille aduentus, verbum autem mitti dicit huiusmodi respectum, idè personæ omnes venire dici possunt, non tamen omnes mitti, vt notauit Athanasius in Epist. ad Serapionem: Vbi significat, nunquam vnam personam venire sine alijs, quia venit per operationem (vt infra dicemus) & opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, mitti autem vnam personam, licet non mittantur omnes, quia non omnes procedunt.

Suarez: De Deo trinuno.

Et eadem ratio est de Verbo Dandi, vel donandi, nam in aliqua propria significatione potest Pater dici donari, licet non possit dici mitti. Quia verbum etiam dandi, vel donandi non dicit necessario respectum realem ad eum, qui donat, vt in quarto capite, præcedentis libri adnotauimus. Nec refert, quod in scriptura sacra nunquam legamus expresse, Patrem donare, aut dare se ipsum, satis est enim, quod in simili habeatur in Scriptura. Tum quia dicitur venire, & manere in nobis. Tum etiam quia Deus charitas est, quam charitatem donat nobis Pater, sufficit etiam, quod vrgenti ratione ex sacris literis colligatur, nam ex Scriptura habemus, diuinam personam esse donabilem, seu dabilem, ergo ex hac parte repugnat Patri dari. Nec verò repugnat ex parte habitudinis ad donantem, quia hæc potest esse reflexiua (vt ita loquar) sed identitatis, vnde potest aliquis donare se ipsum, si sit omnino liber vt maxime est Pater. Hinc intelligimus, hæc verba veniendi, dandi, aut donandi in dicta significatione non esse notionalia, sicut verbum mittendi, sed magis esse quasi essentialia, vel potius transcendentalia, quia & communia sunt omnibus personis, & huic Deo secundum se, vt à relationibus abstrahit, possunt conuenire. Nam Deus se donat nobis secundum essentialia & personalia, & licet intelligeremus in DEO vnam personam tantum, illa esset sufficiens, vt ad nos veniret, & se nobis daret, mitti autem non posset.

2. Omnes donantur.

Dei se donat.

3. Obiectio.

Obijcies, quia Verbum mittit se ipsum, teste Augustino 2. lib. de Trinit. capit. 5. quem imitatur Concil. Tolentanum 11. in conf. fidei, imo ita loquitur Higin. Papa Epist. 1. decret. ergo & Pater potest mitti se ipsum. Pater consequentia, quia si Verbum mittit se, ergo missum non necessario dicit relationem realem ad mittentem, hoc autem admissio, nihil est, cur Pater non possit se ipsum mittere. Respondet, Higinium id dixisse solum de missione verbi per incarnationem, de hac enim ibi loquebatur. Vnde loquuntur de Christo secundum diuersas naturas, ita vt quatenus homo dicatur missus à se ipso, vt Deus est. Sic enim ibidem ait Augustinus. Filium vt hominem esse minorem, non solum Patre, sed etiam se vt Deo. Atq; hoc modo est vera locutio etiam in sensu proprio, existimo enim ad relationem realem ex parte naturæ creatæ, sufficere distinctionem secundum naturam, etiam si persona eadem sit, vt alibi dixi. Hæc autem missio Christi vt Thom. 1. in 3. præ declarauimus, nec potest hac ratione persona Patris mittere se, cum non assumpserit naturam, in qua mitti possit illo modo.

Thom. 1. in 3. præ. dist. 4. Ieron. 3.

4. Hanc autem fuisse Higinij mentem, clarum est, quia solum intendit ostendere, Christum venisse, vt verum Deum, loquiturque de missione rigorosa, quæ fit cum aliqua mutatione, & sic negat, Christum vt Deum fuisse missum ab aliquo etiam à Patre, vt hominem vero fuisse missum non solum à Patre, sed etiam à se. Augustino verò non facile accommodatur hic sensus: quia inde tantum probat, Verbum se ipsum misisse, quia fecit simul cum Patre incarnationem, per quam missum est. Sic autem non dicitur Verbum missum vt homo, sed vt est talis persona diuina. Vnde dici potest, esse improprie usum Augustinum verbo mittendi, pro eo, quod est efficere effectum, ratione cuius Filius dicitur missus. Ait enim ibidem Augustinus, eo ipso Filium fuisse missum, quo factus est caro, iuxta illud ad Galatas 4. Misit Deus Filium suum factum ex muliere. Quia ergo Filius fecit se ipsum carnem, ideo dicitur misisse se. Facilius tamen concluderet, dedisse se, aut venisse ad humanitatem, neque aliud probatur ex indiuisibili, seu inseparabili operatione Patris, & Filij. Sed de illo vsu verbi mittendi plura in capite sequenti. Hic verò addo, etiam secundum illum modum

modum non extendi verbum mittendi ad Patrem cum reflexione supra se, ita vt dicatur mittere se, neque enim apud Augustinum, vel alium grauem auctorem talis locutio reperitur. Et ratio reddi potest, quia quoties Verbum se donat, mittitur proprie ab aliquo, scilicet à Patre, vnde efficiendo donationem sui efficit saltem id, quod est missio, quasi materialiter sumptum, & ideo quodammodo intelligi potest, licet satis improprie, quod se mittat: Pater autem, dum venit, aut se donat, à nullo proprie mittitur, & ideo nullo modo efficit missionem, nec se mittit, etiam improprie.

Dico secundo. Filius, & Spiritus sanctus mitti possunt. Est res certa ex Scriptura, vt in principio capit. precedentis notauimus, & addi potest de Filio illud ad Galatas proxime citatum, *Misit Deus Filium suum*, & de Spiritu sancto illud Ioannis 14. *Quem misit Pater in nomine meo*. Ratio autem est, quia in vtraque istarum personarum potest esse vera habitudo ad mittentem propter relationem originis. Dices. Quid refert processio ad intra ad externum effectum, vt propter illam processionem possit dici persona procedens mitti, quando talem effectum operatur, vel se ipsam donat? Respondeo, per processionem accipere personam procedentem, & potestatem operandi, & auctoritatem se constituendi nouo modo alicui, quia accipit omnipotentiam, & liberam voluntatem ab eo à quo procedit. Mitti autem nihil aliud est, quam ire vel venire ad aliquem locum per virtutem alterius, impressam aliquo modo ei, qui mitti dicitur, vt inter homines imprimitur per imperium, vel consilium: rebus autem irrationalibus per aliquem impetum, vel contractum. In diuinis autem hæc, quæ imperfecta sunt, locum non habent, sed per naturalem productionem communicatur, & quasi imprimitur illa virtus, & ideo talis processio per Verbum mittendi optime importatur. Sicut Christus dixit de Spiritu S. *Non loquetur à semetipso, sed quacumque audierit loquetur*. Vbi processionem ipsam auditionem. Et de se dixit. *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me*, quod probabiliter cum Augustino, & alijs intelligimus dictum, propter communicationem doctrinæ per essentiam, quam per generationem accipit Filius. Sicut ergo persona procedens dicitur audire, & discere per æternam processionem ita potest dici mitti, sed illa dicuntur ex æternitate, quia non connotat actuale effectum ad extra, sicut Verbum mittendi denotat.

Dices. Vt vnus homo mittat alium, non satis est dare virtutem eundi, sed necesse est, imprimere illi aliquo modo voluntatem eundi, seu impellere illum, vt eat. Alias vbi cum que iret Filius inter homines, diceretur Pater eius mittere illum, quia dedit illi virtutem eundi, quod tamen non ita est, sed oportet, vt impellat illum aliquo modo dando illi voluntatem eundi per imperium, vel consilium, aut preces, &c. Ergo in diuinis, vt persona mittat, non satis est, quod producat, quia per productionem non dat alteri voluntatem eundi, sed solum potestatem. Nam potestas naturalis est, voluntas autem libera, vnde potestatem, & voluntatem quasi in actu primo, seu indifferente in ordine ad externa obiecta, dat persona producens personæ productæ, voluntatem autem liberam illi non dat, imo illam habet æque primo persona procedens cum persona producere, ergo non satis est, quod persona producat, vt mittere dicatur. Et in hoc est differentia inter doctrinam, & missionem, quod scientia naturalis est, & ideo per productionem necessario communicatur, quod est verum suo modo etiam de illa scientia, quæ maxime videtur libera, vt est scientia visionis, quia in se non est libera, sed tantum ex parte obiecti, tamē obiecto posito in esse scibilis, statim necessario representatur per scientiam naturalem, & ideo secundum illam meritò dicitur scire, & audire persona procedens à

producente. At terminus missionis (vt sic dicam) liber omnino est, & in eo est omnino sui iuris, & dominij (vt ita loquar) persona procedens, & ideo, vt dicatur mitti talis persona, quado libere venit, non videtur satis, quod accipiat potestatem à producente, cum non accipiat liberam voluntatis suæ determinationem.

Respondeo primò, diuinas personas ita inter se comparari in ordine ad decreta libera, vt non possit vna aliquid velle, quia id velit quælibet alia, & nihilominus quælibet earum ab alia, sed omnes simul se determinant per vnicam, quam communem habent voluntatem. Vnde in his decretis liberis formaliter, & in se spectatis, verum sine dubio est, non seruari ordinem originis, sed omnes personas simul, quasi vno impetu (vt me explicet) sese libere determinare ad hoc, vel illud obiectum ad extra sine vlla sui mutatione. Nihilominus tamen propter ordinem originis, quem inter se habent, intelligitur persona producens primario velle, quicquid omnes volunt, non solum quia persona procedens habet à producente illummet actum quoad totam suam realitatem, quo libere vult, sed etiam quia ex vi originis intelligitur persona procedens accipere illum actum cum tali concordia ad personam producentem, vt necessario voluitur fit, quidquid altera voluerit. Vnde etiam in exhibenda ipsa libera determinatione (nostro loquendi, & intelligendi more) intelligitur persona prior origine habere quasi primarias partes respectu alterius origine posterioris, nam illa, quæ non est ab alia, semper intelligitur esse quasi fons illius determinationis, atq; hoc satis est, vt etiam quoad voluntatem eundi dicatur mittere.

Exemplum optimum est in productione Spiritus sancti, quæ licet sit æque primo, & immediate à Patre, & Filio, nihilominus Pater intelligitur esse quasi primarius auctor eius, in quantum non solum per se, sed etiam per Filium spirat, & ipse Filius à Patre habet amorem illum, per quem spirat. Et ideo ipsemet Filius Patri attribuit, quod ipse mittat Spiritum S. cum ait, *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre*. Vnde addo & fortasse proprius & clarus, quoties Filius, & Spiritus S. ad nos veniunt, venire ex naturali propensione bonitatis suæ, & ex prudentissimo consilio sapientie suæ, quod totum habent à Patre, & Spiritus S. habet etiam à Filio, atq; hoc factis est, vt dicatur persona procedens habere à producente voluntatem liberam veniendi, etiam si non habeat ab illa decretum liberum quoad ipsam formalem determinationem, quia satis est, quod habeat propensionem ad illud per acceptam bonitatem, & sapientiam. Nam inter homines, cum vnus alium mittit, non imprimi illi immediate voluntatem eundi, aut physicam determinationem voluntatis suæ ad illum actum, sed satis est, quod tribuit morem impulsivum per imperium, vel consilium.

CAPVT III.

Quenam persona possit aliam mittere.

Resolutio est facilis ex dictis, dico ergo primum: **R**omnis persona producens potest etiam mittere, atque illa sola, & ita Pater, & Filius possunt mittere, Spiritus S. autem non potest mittere. Probatur omnia ex illo principio, quod missio diuine personæ includit processionem per quam persona missa accipit virtutem, & auctoritatem operandi, seu faciendi id, ad quod mittitur. Vnde argumentor in hunc modum. Omnis persona diuina producens aliam, dat illi virtutem, & inclinationem eundi aliquo eo modo, quo ire potest, scilicet, per operationem, vel aliam vnionem ad aliquam creaturam, ergo, potest mittere illam. E contrario verò persona, quæ non producit, non dat huiusmodi virtutem, vel